

da diligenter, maxime opia, & epithemata corroborantia, attrahentia, dissipantia.

659. Hinc liquet ratio difficultatis sistendi vomitus in multis febribus acutis: tum falsitas & periculum regulae, *vomitus vomitu curatur*: Cur saepe sudorifera vomitum tollant, ut in peste; cur saepe sistatur ille facta crisi, ut in variolis? Cur saepe missu sanguinis, ut in acutis inflammatoriis? Cur, quibus initio febris acutae vomitus perpetuus sine causa inflammatoria, diarrhoea pro crisi, quae caveatur dato in principio morbi emetico? Cur vomitus omnis ingesti, statim ac receptum est, pessimus in acutis fit? ex iisdem Singultus nasci, & sanari potest.

### DEBILITAS FEBRILIS.

660. **D**ebilitas ingens sequitur impedimentum influxum & pressionem liquidii nervosi in musculos.

661. Quod impedimentum ab inanitate vasorum, exhausto liquido, ab immeabilitate liquidii, obstructione canalis, compressione hujus, maxime circa originem suam in cerebro & cerebello, debilitate cordis.

662. Priorem causam demonstrant symptoma-

K 2

ptoma-

ptomata magnarum evacuationum praegressa, & praesentia, ut est diuturnitas morbi; haemorrhagiae morbosae, artificialesve; sudor; diabetes, salivatio, diarrhoea; defectus cibi assumti, retenti, digesti, intropulsi; pallor; macies; pulsus parvus; vasa collapsa; musculi flacciidi.

663. Immeabilitas liquidi glutinosi, vel inflammati, cognoscitur ex signis datis (69. 70. 71. 72. 73. 74.)

664. Canalis autem obstructio ex (107. ad 144.)

665. Cerebri & cerebelli compressio causa debilitatis perspicitur ex observatis iis functionibus simul laefis, quas ab iis integris pendere certo novimus; ut si deliria, sopor, tremor, vertigo, tinnitus simul adsint.

666. Sed a debilitate cordis scimus ex signis deficientis circulationis. (106.)

667. Cibi liquidi, sanguini similes, arte digesti, gelatinosi, blandi, ex animalibus vegetabilibusque, vinosis, & aromaticis, secundum artem misti, saepe, parva dosi dati, cum leni frictione exterorum repletionem efficiunt commodam; in primis si sumuntur ex idonea, contra morbi ingenium, materie.

668. Si ex immeabilitate liquidi (663.) reme-

remedia adhibenda (75.) & (132. ad 137.),  
aliter enim nil contra hanc speciem pro-  
dest.

669. ut & (664.) curatio petenda ex  
(124. ad 144.)

670. Illa autem, quae ex (665.) oritur,  
ut plurium tollitur his, quae illi loco  
applicata, deobstruere possint impactum  
(124. ad 144.) & impetum avertere in a-  
lia loca. Id sit humectando nares, caput,  
faciem, os, collum, fomentis blandis;  
applicando pedibus epispastica.

671. Debole cor raro, nisi lente, juva-  
tur; generalia vero dicta (667. ad 671.)  
prodeesse possunt.

672. Inde (660. ad 672.) nobis constat,  
quam rarus sit Cardiacorum in acutis in-  
tellectus; quam sit debilitas in febribus  
malum saepe insuperabile.

### C A L O R F E B R I L I S.

673. C alor febrilis thermoscopio exter-  
nus, sensu aegri, & rubore urin-  
iae internus cognoscitur.

674. Semper requirit majorem ignis co-  
piam in illo loco, quem plus calefacit.

675. Quae ortum debet violentiori par-  
tium fluidarum in se mutuo, in vasa, ho-  
rum in illas attritui.